



CAROLVS II.
DEI GRATIA REX,
ET D. MARIANNA REGINA
MATER, TVTRIX, ET GVBERNATRIX.

DON FRANCISCUS TVT AVILLA, DVX S. GERMA-
ni, Dominus s̄datus campanæ de Albala, & Villa de Saucedilla,
Comendator Piñæ Osenda ordinis S. Iacobi, ex supremis Consilijs belli
Italia, & Collateralis Regni Neapolis, in presenti Regno Sardinia Vi-
ce Rex, & Capitaneus Generalis, ac procedens in presenti causa vti dele-
gatus sue Catholice Maiestatis, cū voto Nobilis, & Mag. D. Ioannis
de Herrera Militis Hispani, & in Regno Neapolitano Regij Consiliarij
Consilij Sanctæ Claræ.

PATEAT cunctis, & euidenter notum sit, quod, permanente,
in anno præterito 1668. Illustri Don Augustino de Castelui
Marchione Laconi, in Hispania, D. Silvester Aymerich, amore
captus Domnæ Franciscæ çatrillas de Castelui Marchionissæ Laconi,
& Sietefuentes dicti Illustris Marchionis vxoris, assistentis in hac Ciui-
tate Calaris, illius Palatium frequenter introiuit; & cum reuersus fuis-
set dictus Illust. Marchio, de mense Maij dicti anni 1668. ad hanc præ-
fatam Ciuitatem, dicti D. Silvester, & Domna Francisca colloquium
in simul habuerunt eum occidi facere, vt postmodū, inter eos, Matri-
moniū sequutū fuisset; & volētes dictā deliberationē exequi, tractatum
habuerunt, cū aliquib⁹ particularibus intrinsicis dicti Don Siluestri; &
dūm nocte vigesimi mensis Iunij dicti anni 1668. hora prima post
medietatem illius dictus Illustris Marchio Laconi D. Augustinus de
Castelui associatus duobus eius famulis exierat ab eius Domo, per-
uentus propè Palatia Don Ioannis Claueria, & Spectabilis Regentis

A

Don

2
Don Ioseph Niño à dictis Don Siluestro, & iocijs (insidiatis in dicto loco permanentibus) multi scloporum ictus emissi contra eos fuerunt, à quibus vulneratis remansis dicto Illustre Marchione, & Antonio Marcello vno ex duobus eius famulis alijs vulneribus, cum pugionibus eos affecerunt, causa quorum statim dictus Illustris Marchio Laconi mortuus fuit, & Antonius Marcello, post triduum, ex hoc saeculo migravit, & vt delictum prædictum, respectu ipsorum occultum, excusaret, publicare fecerunt fuisse patratum de ordine Illustris Marchionissæ de Camarassa cum scientia Illustris Marchionis Camarassæ eius viri, tunc in hoc Regno Proregis, ex causa oppositionis factæ per dictum Illustrem Marchionem Laconi, proponentem animosas, & impracticabiles condiciones, pro concessione donatiui propositi, per dictum Illustrem Marchionem Camarassæ Proregem, nomine suæ Catholicæ Maiestatis, pro quibus coactus fuit dictus Illustris Prorex parlamentum generale vulgo Cortes dissolvere; qua de causa nonnulla tractata, & colloquia sequuta fuere in Palatio ipsiusmet Domne Franciscæ çatrillas, & Castelui, inter eam & dictum Don Siluestrem Aymerich, cum Don Iacobo Artal de Castelui Marchione de Cea, Don Antonio Brondo, Don Francisco Cao, Don Francisco Portugues, D. Gauino Gixoni, & alijs, occidendi causa dictum Illustrem Marchionem Camarassæ Proregem, & prædictæ prauæ deliberationis executione innocentia, & reuerentia (quæ dicto Domino Proregi debebatur) non obstantibus ausa fuit dicta Domna Francisca çatrillas, de Castelui Marchionissa Laconi, & Sietefuentes habere tractatum cum Antiocho Detori de villa Cularis eius vassallo, famulo Antiochi Brondo, vt in aliquas cameras inferiores Domus dicti Antiochi Brondo eius domini vulgo *entre suelos,*) quæ aspectum habebant in platea *de los Caualleros,* per quam transire solebat, dictus Illustris Prorex, homines armatos introduxisset, eidemq; pro effectu prædicto, soluendo ducatos biscentum, qui pro executione dicti tractatus, in die vigesima prima mensis Iulij dicti Anni 1668, in dictas cameras introire fecit præfatos D. Antonium Brondo, Don Siluestrem Aymerich, Don Franciscum Cao, D. Franciscum Portugues, D. Gauinum Gixoni, & alios armatos, vbi insidiatos, & occultos permanentes, dum post horam vigesimam tertiam dicti diei, dictus Illustris Marchio Camarassæ Prorex, ab Ecclesia Diuæ Mariæ Carmeli, intus currum, cum eius Illust. vxore, & filijs, ad Regium Palatium, reuertebatur, peruictus in platea prædicta à quadam fenestra dic-
tarum

rarum camerarum inferiorum à dictis D. Antonio Brondo, & præno-
minatis alijs nonnulli scloporum ictus emissi fuerunt, causa quorum
dictus Illustris Prorex statim extintus remansit, & aufugientes postea
dicti occisores, D. Silvester Aymerich, D. Gauinus Grixoni, cū alijs
quatuor ex eis, in Palatio dictæ D. Franciscæ çatrillas de Castelui se
receperunt, ianuas illius claudi faciendo, & assistentes in eo, cum alijs
armatis, in custodiam dictæ D. Franciscæ, cuius, iussu ab eius villis alijs
homines armati in dictū Palatiū introducti fuerūt, permanēdo ibidem
diū, noctuque dictus D. Silvester; & instando dicta D. Francisca, çatri-
llas in Regia Audientia huius Ciuitatis, & Regni, contra dictam Illust.
Marchionissam Camarassæ, toto conatu, capi fecit informationē, pro-
ducēdo nōnullos testes falsos, & per vim extortos, vt cōstaret homici-
diū in personam dicti Illust. Marchionis Laconi eius viri, commissum
fuisse de mandato dictæ Illust. Marchionissæ Camarassæ, cum scientia
prænarrati quondam Illust. Marchionis Camarassæ Proregis eius viri,
& postmodum, canicularibus diebus, & intēperie non obstantibus, cū
dicto D. Silvestro Cularim se cōtulerunt, ybi eius vassallis, & famulis
dictum D. Silvestrum esse eius cōiugem patefecit. De quib⁹ atrociorib⁹
delictis, capta informatione, fuit per Magnificū V. I. D. Don Stephanū
Alcman Fisci Aduocatū, præsentis causæ, contra dictam D. Franciscā
çatrillas Marchionissam Laconi, & Sietesuentes, instatum debitas expe-
diri citationes, ad comparandum coram Nobis, & ad pœnas, in talib⁹
delictis, à iure statutas cōdemnari; & cū virtute dictæ instatiæ, fuissent
expeditæ, citationes prædictæ fuerunt eidē notificatæ sub dieb⁹ septima,
& decima quarta Iunii proximè præteriti; & ex quo, in termino ei præ-
fixo, comparere minimè curauit, contra eam incusata fuerunt debita
contumacia. *Unde visis videndis, & consideratis considerandis.*

NOS qui supra, Don Franciscus Tuttavilla, Dux Sancti Geramni,
Prorex, & Capitaneus Generalis huius Regni, ac Delegatus per suam
Catholicam Maiestatem, in præsentī causa, cum voto dicti Nobilis, &
Magnifici Regij Consiliarij Don Ioannis de Herrera Consultoris, dici-
mus, decernimus, pronunicamus, & declaramus, præfatam D. Francis-
cam çatrillas de Castelui Marchionissam Laconi, & Sietesuentes incidif-
se, ex causa homicidij, in personam dicti Illustris Marchionis Cama-
rassæ Proregis, in crimen læsæ Maiestatis, in primo capite: & proinde
tamquam publica hostis ab omnibus impunè offendi, & occidi posse,
eiusque occisores, non culpam, neque pœnam, sed præmia, & gratiā

Re-

4
Regiã consequatur, Domũ dictæ D. Franciscæ de Castelui esse demolis-
edam, vt fiat eius habitatio deserta, & inhabitabilis, ac perpetuæ no-
tam infamiæ perpetua ruina testetur, nulloque tempore reparetur, ara-
troque in ea inducto, sale deinde aspergatur, & Epitaphium, ad fu-
turam rei memoriam, eidem imponendum, etiam pro executione or-
dinis suæ Catholicæ Maiestatis, eiusq; bona mobilia, & stabilia, feudalia,
& burgenfatica, iura quæcumque, & actiones, à dicto die patrati crimi-
nis, fuisse, & esse legitime acquisita, incorporata, & deuoluta, in bene-
ficio Regiæ Curia, & Fisci Catholicæ Maiestatis. Taliter per hanc
nostram definitiuam sententiam, in scriptis, proferimus, decernimus,
declaramus, pronuntiamus, atque definitiue sententiamus.

El Duque de San German.

Vt. Don Ioannes de Herrera,
Regius Consiliarius, & Consultor.

Gregorius Ferrarius Secret.

*Lecta, lata, & publicata fuit retro scripta sententia pronunciata, contra
retro scriptam Domnam Franciscam garrillas de Castelui, Marchionissam
de Sietefuentes in Sala Regij Palatij huius Ciuitatis Calaris, coram Excel-
lentissimo Domino Prorege, Duce Sancti Germani, cum assistentia Nobilis,
& Magnifici Regij Consiliarij Don Ioannis de Herrera consultoris, &
& Magnifici Doctoris Don Stephani Aleman Fisci patroni, pro Tribu-
nali sedentibus, per me subscriptum actorum Magistrum in capite, per
suam Catholicam Maiestatem, in magna Curia Vicaria, in Crimina-
libus Regni Neapolis, & Secretarium presentis Cause, presentibus
Magnificis Doctore Georgio Canassa, Don Valerio de Amato, Capitaneo Pe-
tro Antonio Peis, Ioanne Matheo Ascanio, Don Francisco Montanacio, &
alijs in numero magno. Die sexta Iulij 1669. Calari.*

Gregorius Ferrarius Secret.